

# ARNALDI DE VILLA

NOVA EPISTOLA SVPER

*Alchimia ad Regem Neapolitanum.*

**S**Cias. ô tu Rex, quòd sapientes posuerunt in opere multas res, & multos modos operandi, scilicet dissoluere & coagulare, & plura vasa, & pōdera, quod fecerunt ad excēcandum ignorantēs, & ad declarandū intelligētibus opus prædictum. Et nota, ô tu Rex, quòd sapientes denunciarunt opus sub breuibus verbis; licet plura verba alia posuerunt, & adiunxerunt, vt non inteligeretur, nisi per sapientes. Sapientes verò dixerunt, quòd est vnius lapis, qui ex quatuor naturis est compositus: quæ quidem naturæ sunt, ignis, aëris, aqua & terra. Qui quidem lapis est lapis in similitudine & tactu: non autem in natura: & vocatur lapis, siue compositū quod dam. Compositum dum est ductum per viam rectam, est id quod quæritur, in quo nō est aliquid superfluum, vel aliquid quod desit: immo omnia quæ sunt in lapide, sed ei necessaria, & nullo alio indiget: & quod dictum compositum, siue lapis est vnius naturæ & una res: quæ quidem res, in decoctione ignis habet diuersos colores, antequam fiat lapis albus perfectus.

Et nota, ô tu Rex: quòd ubi magis dictus lapis stat in igne, tantò magis augmentatur de bonitate: quòd in alijs rebus non est ita: quia omnes aliæ res in igne comburuntur, & amittunt humiditatem radicalem. Dictus verò lapis totus solus in igne semper melioratur & crescit eius bonitas: & ignis est eiusdem lapidis nutrimentum. Et istud est vnum de euidentibus signis ad cognoscendum lapidem ipsum: quod intellige bene. Quod compositum siue lapis dividitur ante operationē duobus modis: prima corporalis, alia spiritualis, & vnum exit ab alio, & est vnta, & regitur vnum cum alio, & vnum meliorat aliud. Et Philosophi nominauerunt vnum Masculinum, & aliud Fœmininum.

Et nota, ô tu Rex, quòd quando Philosophi nominauerunt Argentum viuum, & magnesiam, dicentes: